



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

Epistola VI. Pelagii Papae I. Ad Episcopos Tusciae. Ipsos ob schisma  
reprehendit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

## EPISTOLA VI.

## PELAGII PAPÆ I.

AD EPISCOPOS TVSCIÆ.

Ipsos ob schisma reprehendit.

*Dilectissimis fratribus Gaudentio, Maximiliano, Gerontio,  
Iusto, Terentio, Vitali & Laurentio per Tusciam  
Annonariam, Pelagius.*

Tuscia episcopia Pela-  
gio papa ob schisma  
reprehensi. DIRECTAM a vobis relationem , defensore ecclesiæ nostræ Jordane deferente, suscipientes, satis mirati sumus , ita vos apostolicæ auctoritatis oblitos, vt diuisionem vestram ab vniuersali ecclesia meo etiam volueritis ( quod absit ) consensu firmari ; & quos decuit popularem ignorantiam sacerdotali doctrina comprimere, in contumeliam sedis apostolicæ, plebis velle sequi iudicium. Nec ista dicentes, iniuriam nostram dolemus , quibus donante Domino propositum est in mansuetudine supportantes omnia fraternæ pacis vinculo custodire : sed ( sicut diximus ) diuisionem vestram a generali ecclesia , quam tolerabiliter ferre non potero , vehementer stupeo. Cum enim beatissimus Augustinus dominicæ sententiæ memor , qua fundamentum ecclesiæ in apostolicis sedibus collocauit, in schismate esse dicat , quicumque se a præsulis earumdem sedium auctoritate vel communione suspenderit ; nec aliam manifestet esse ecclesiam , nisi quæ in pontificibus apostolicarum sedium est solidata radicibus : quomodo vos ab vniuersi orbis communione separatos esse non creditis, si mei inter sacra mysteria secundum consuetudinem nominis memoriam reticetis, in quo , licet indigno , apostolicæ sedis per successionem episcopatus præsenti tempore videtis consistere firmatatem ?

Sed ne apud vos forte , vel apud greges qui vobis commissi sunt , de fide nostra aliqua poslit remanere suspicio : hoc dilectionem vestram certissime nosse desidero , me illam , donante Domino , custodire fidem , quam sacra apostolorum doctrina constituit, quam Nicenæ Synodi firmauit auctoritas, quam Constantinopolitanæ , Ephesi-

phesinæ primæ, & Calchedonensis, sanctorum Synodorum explanauere sententiæ, nec quidquam de præfatarum Synodorum definitionibus vel imminuisse me aliquid, vel auxisse, aut in aliquo permutasse; sed omnia, Deo propitio, quæ ab illis de fidei puritate conscripta sunt, inuiolabiliter custodire: anathematis nihilo minus iudicio subdens, quisquis ad superscriptarum quatuor Synodorum fidem, vel ad beatissimi Leonis præfusilis apostolicæ sedis tomum, qui in Calchedonensi est Synodo confirmatus, aliqua ex parte vel infirmandum quoquo modo, vel in dubium (quod absit) deducendum aliquando consenserit. Hac igitur dilectio vestra fidei nostræ professione munita, ignorantiam hominum (sicut sacerdotes decet) in spiritu mansuetudinis edocere festinet, & a prava intentione modis omnibus reuocare, atque unitati ecclesiae reddere. Quod si quis forte etiam post hæc aliquem sibi superesse credit scrupulum, ab insano tumultu desinens, ad nos magis venire festinet: ut ex his quæ dubitat, rationabili satisfactione percepta, latus, Deo propitio, cognita veritate, vniuersali reformetur ecclesiæ. Nos enim (secundum apostolicam sententiam) parati sumus *ad satisfactiōnēm omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, fidei:* quia in nullo nos a sanctis patribus, custodiente nos diuina gratia, cognouimus deuiasse. Dominus vos incolumes custodiat, fratres carissimi. Dat. 15. Kalend. Mar. anno 15. post consulatum Basili viri clarissimi.

## EPISTOLA VII.

## PELAGII PAPÆ I.

AD VNIIVERSVM POPVLVM DEI,

Defide catholica.

*Pelagius episcopus vniuerso populo Dei.*

**V**as electionis beatissimus Paulus apostolus, cum de Iudæis in Christo necdum credentibus loqueretur, zelum eos Dei habere professus est: sed ne ex hoc sine culpa esse crederentur, consequenter adiecit: *Sed non secundum scientiam:* Rom. 10. vt eos necessarie per doctrinam a Deo sibi creditam ostenderet emendandos. Quod testimonium nostro etiam tempori conuenire, caritas vestra non ambigit: quia etsi zelum Dei in quorumdam mentibus

*Concil. Tom. 12.*

Ttt